

DE  
RHEUMATISMO UTERI.

\*\*\*\*\*

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA,

QUAM

AUCTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM  
ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI,

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE IMPETRANDUM,

LOCO CONSUETO PALAM DEFENDET

AUCTOR

*PHILIPPUS JACOBUS KARELL,*

ESTHONUS.

\*\*\*\*\*

DORPATI LIVONORUM,

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHIACADEMICI,

MDCCCLXXXII.



I m p r i m a t u r

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, quinque exemplaria collegio ad libros explorandos constituto tradantur.

Dorpati Livon. die xxx. Mens. Aprilis. MDCCLXXXII.

Dr. Theoph. Franc. Immanuel Sahmen,  
h. t. Ord. Med. Decanus.

D 16765

Rheumatismum uteri argumentum dissertationis meae elegi, quoniam mihi contigit, ut exemplum hujus morbi in univ-  
sum adhuc raro descripti observarem. Fru-  
stra aliquis in hoc opusculo theorias no-  
vas, res magni momenti repertas, remedia  
nova specifica laudata quaereret; — lector  
benevolus aequior erit, reputans, observa-  
tum esse a me semel tantum morbum, de  
quo agamus, mihi que haud multum tem-  
poris fuisse concessum ad conscribendam  
commentationem meam. In casu a me  
observato eam tantum probata inveni, quae  
Wigand, qui primus hunc morbum de-  
scripsit, Carus, alii que scriptis tradiderunt.

Quamquam adhuc nonnulli negant hunc  
morbum esse, tamen partus adjutores cla-  
rissimi, ut Siebold, Carus, Joerg, alii,  
saepius eum viderunt, atque eum exstare

demonstraverunt, sed pauca hucusque de hoc vitio sunt scripta. Primus, apud quem hujus morbi nomen reperimus, est: Gualterus Charleton: inquisitiones medico-physicae de causis catameniorum nec non uteri rheumatismo. Lugd. B. 1686, quod opus accipere non potui; attamen, ut Carus affirmat, nomine rheumatismi uteri fluorem album significavit.

Dr. Just. Henr. Wigand primus morbum descripsit, de eoque in his operibus locutus est:

1. Von den Ursachen und der Behandlung der Nachgeburtzögerungen. Hamburg. 1803.
2. Die Geburt des Menschen, herausgegeben von Dr. F. C. Naegele. Berlin. 1820. Tom. I.
3. Beiträge zur Geburtshülfe in fasciculo III.
4. Hamburgisches Magazin für Geburtshülfe. Vol. I. fasc. I.

Praeterea conferantur hi scriptores:

Schmidtmüller: Handbuch der medizinischen Geburtshülfe. Tom. 1. 1809. §. 183, 214 et seqq.

Siebold: Lucina. Vol. III. P. II. p. 238. et Vol. VI. P. I. p. 241.

——— Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. Frankfurt am Main. 1824. Vol. IV. p. 446.

Carus: diss. de uteri rheumatismo. Lipsiae. 1811.

Carus: Gynäkologie. 1818. Tom. II.  
Dr. Velten in volumine XIV. ex Rust's  
Magazin für die gesammte Heilkunde  
p. 537.

### De musculosa uteri gravidae structura.

Antequam ad argumentum hujus commentationis ipsum transeam, necesse mihi esse videtur; nonnulla de structura uteri in universum praemittam, et deinde adesse fibras musculares in utero gravido demonstrarem, etiamsi non a me factis investigationibus, tamen auctoritate physiologorum et anatomorum clarorum, qui rem accurate perquisiverunt, nitens; — nam partes musculosae tantum rheumatismo corripi possunt, quod postea in rheumatismi definitione videbimus; et uteri rheumatismum falso statuissemus, si ille prorsus nulla conditione aliquid musculorum simile contineret.

Ante pubertatem uterus, ut Reil 1)

1) Reilii Archiv für die Physiologie. Vol. VII. p. 409

monet, corpus est parvum, durum, fere cartilagineum, si dissecatur, album et glabrum, structura non perspicua, et tam paucis vasis instructum, ut frusta decidere possis, sanguine non fluente. Pubertatis tempore autem uterus, qui eo usque nullum fere connexum cum caetero organismo habet atque in inferiore organisationis gradu versatur, majoris momenti fit, actionem mutuam cum reliquo organismo habere incipit; largior succorum affluxus adest, uterus fit mollior, major, vasis instructior, aptus denique ad satisfaciendum consilio suo, propagationi individui per novi hominis generationem. Certo fuit uterus ad generationem aptus, cui Galeus, cum primum accuratius observasset mirabilem ejus structuram 2), sacrificare paene voluit. — Innumera alia in aliis posita telae cellulosa strata, crassitudine et directione diversissima, vasa sanguifera ac lymphatica, et nervi mirum in modum inter se conserta et implicata, fibrae generis peculiaris tenuissimae per strata positae, quae modo in gravido utero apparent, secundum Calzae 3) perscrutationem totum

2) Johannes Swammerdam: *Miraculum naturae, seu uteri muliebris fabrica*, Lugd. Batav. 1672 et 1679.  
3) *Reilii Archiv für die Physiologie*. Vol. VII, p. 346.

viscus constituunt. Femina artis obstetriciae peritissima Boivin 4), se haec fibrarum strata etiam in utero non gravido ante menstruationem et post eam, et si macerationi subjiceretur, perspicue vidisse affirmat, eorumque decursum copiose describit. Nemo tamen perspicuas fibras musculares in utero non gravido vidit. Eas ibi quoque adesse fortasse concludi potest ex observatione Calzae, qui in utero leviter inflammato feminae viginti annorum, quae nunquam pepererat, et phthisi syphilitica mortua erat, ex parte duo strata fibrarum, alterum internum, alterum externum, substantia muskulosa, cellulosa interjacente, ut in utero gravido dignoscere potuit.

In graviditate denique uteri vita per vim fecundantem ad summum, quem in statu normali assequi potest, gradum evecta est, ut fetui formam speciemque praebere possit. Non ambitus ejus solum, sed substantia etiam crescit; quod nisi fieret, ejus parietes graviditatis decursu tantam tamque diuturnam extensionem sine detrimento certo non possent perferre. Reputemus uteri gravidi cavum circiter quingenties et quadragies majus fieri, quam

4) *Handbuch der Geburtshilfe*, ed. Busch. Marburg. 1829. p. 63.

non gravidi est, et partus tempore fere viginti libras continere posse, dum in virgine vix nonnulla grana recipere queat; et nihilominus tamen ejus parietes non solum non tenuiores facti sunt, sed etiam crassiores, ita ut eorum crassitudo, quae in virginis utero 4—5 lineas amplectebatur, in gravido usque ad pollicem vel sesquipollicem augeatur. In hoc etiam uteri statu strata multarum fibrarum muscularium diversis directionibus decurrentium medico accurate exploranti luculenter se ostendunt. Quamquam praeclari physiologi, ut Boerhave 5), Blumenbach 6), Walter 7), Weisse 8), se nunquam substantiam muscularem in utero reperisse affirmant, alii tamen, non minus praeclari, ut Santorinus 9), Vesalius 10), Noortwyck 11),

- 
- 5) Prael. acad. edit. Haller. Tom V. part. II. §. DCLXIII.
  - 6) Institutiones physiologiae. §. 538.
  - 7) Betrachtungen über die Geburtstheile des weiblichen Geschlechts. Berlin. 1776. 4. p. 26. 67.
  - 8) Diss. de structura uteri non muscosa sed vasculosa. Viteb. 1784.
  - 9) Observat. anatom. Venet. MDCCXXIV. observat. VI. §. X.
  - 10) Epitome libror. d. c. h. fabr. Bas. 1542. lib. 5. cap. 15. pag. 459.
  - 11) Uteri gravidati anatome et historia. Lugd. Bat. MDCCXLIII.

Haller 12), Fried. Ruysch 13), Weitbrecht 14), Wrisberg 15), Hauenschild 16), J. Sue 17), Joerg 18) aliique, asseverant se eam aperte conspexisse, nec tamen fibrarum muscularium decursum et directionem accurate exponunt. Roederer 19) et Hunter 20) primi fuerunt, qui accuratas descriptiones anatomicas et icones uteri gravidati publici juris fecerunt, et paulo post fere eodem tempore Calza 21) et Meckel 22), quae detexerant perscrutationibus suis, divulgaverunt; qui viri musculorum strata adesse optime demonstrant, eorumque decursum et directionem accuratissimo describunt, ita ut statuere liceat, jam compositam esse omnem physiologorum litem de hac re.

- 
- 12) El. physiolog. VII. p. 64.
  - 13) Tractatus de musculo in fundo uteri observato, antea a nemine detecto, vert. I. Christoph. Bohlio. Amst. 1726.
  - 14) Nov. comm. acad. Petrop. I. p. 543.
  - 15) De utero gravido. §. 31.
  - 16) Diss. de muscosa uteri structura. Jenae. 1782.
  - 17) Elem. de chirurgie. Par. 1755. I. p. 114.
  - 18) Ueber das Gebärgorgan.
  - 19) Icones uteri gravidati. Gott. 1789.
  - 20) Anat. of the human gravid uterus.
  - 21) l. c.
  - 22) Diss. de viribus partum efficientibus generatim et de utero speciatim; ratione substantiae musculosae et vasorum arteriosorum, auct. O. F. Rosenberger. Halae, MDCCCLXXXI.

Calza in utero gravido triplicem substantiam animadvertit: 1) externam, crassam, musculosam; 2) mediam, fungosam, cavernosam; 3) internam, item musculosam, sed tenuiorem. Statim sub peritoneo, quod a fronte et a tergo uteri corpus obducit, apparet stratum fibrarum longitudinalium, quae in superficie anteriore partim recta axis directione a collo ad fundum uteri vergunt, partim ad tubas Fallopianas vel sub ligamentis teretibus ad ovaria tendunt.

Inter eas invenimus musculum, a Santorino deprimentem dictum, qui a ligamentis teretibus procurrit ad tubas Fallopianas, quas amplectitur, et fasciae similis per fundum uteri continuatur, ita tamen, ut ejus fibrae magis per anteriorem superficiem, quam per posteriorem se extendant.

Infra hunc musculum apparent segmenta superiora duorum musculorum circularium, quorum fibrae, eodem centro utentes, circa tubarum insertionem in uterum circumeunt. Hae fibrae circulares in corpore tantum reperiuntur. In parte anteriore secundum uteri axem concurrunt, atque infra eos et supra eos intervallum triangulare formatur, quod aliae fibrae (quas Calza appellat fibras musculares superiores rectas) explent, dum striae interdum interruptae formam exhibentes recta via ad collum decurrunt.

In superficie posteriore praeterea pe-

culiaris fibrarum fascia ab altero ovario ad alterum transverse tendit. Hae fibrae musculares interrumpuntur fibris sursum et deorsum euntibus, obliquis, sive, ut uno verbo dicam, circularibus, quae in diversa altitudine oriuntur et diversissima ratione inter se implicantur. Verisimile est, ipsas esse easdem, quas Roederer aliique nomine fibrarum retiformium descripserint.

In superficie posteriore sub fascia transversa duo strata percurrunt quae se decussant et in alia musculorum strata abeunt. Fasciae transversae sejungere videntur corpus et collum.

Fibrae superioris strati in collo firmissime inter se concretae sunt, transverse per collum currunt, atque in ejus axe se decussant. Infra illud stratum fibrarum rectarum descendit, quae ad uteri orificium vergunt et cum aliis oblique in latere decurrentibus nonnullos annulos formant. Hac ratione semper alternantur fibrae longitudinales, transversales, circulares, donec pervenimus ad stratum, omnino ex vasorum plexu compositum, quod jam pertinet ad substantiam fungosam.

Cava substantiae fungosae connexum habere videntur cum cavis mucosis, quae jacent inter colli valvulas et in orificii uteri labia se aperiunt.

Stratum internum tenuissimum est, neque potest non ruptum sejungi. Ut Weitbrecht et Roederer dicunt, ejus fibrae duas modo directiones sequuntur, nimirum eae,

quae ad corpus solum pertinent, decurrunt eodem centro utentes circa tubarum orificium, reliquae circulares circa colli axem. (Conferantur imagines hanc rem spectantes in Reilii Archiv für Physiologie Vol. VII.)

Secundum recentiores imprimis tria diversa fibrarum strata, longitudinalium, obliquarum et transversalium, animadverti et praecipue in affectionibus pathologicis uteri inter partum et post eum ostendi possunt.

Etiamsi fibrae musculares non tam luculenter probatae essent investigationibus anatomicis, quam potissimum a Calza factum est, tamen eas adesse etiam concludere possemus ex viribus partum efficientibus, quae omnino irritabilitati adscribendae sunt. Contractilitas organica, quam nonnulli causam harum contractionum habent, certo eas efficere nequit, cum extensione novem menses perdurante necessario debilitetur nec in ulla alia corporis humani parte effectus tales producat, quales in utero inter partum videmus. Irritabilitas vero musculis propria, quae novem menses quievit et fine hujus temporis certo quodam nervorum effectum ad agendum impellitur, tale quid efficere valet. Quam vehementes uteri contractiones sint, quivis partus adjutor percipere potest, si, dum dolores parturientis adsunt, manus ejus in utero est.

Irritabilis harum fibrarum uterinarum

natura etiam chemice probata est, cum Schwilgue 23) magnam materiae fibrinae copiam ex utero excreverit.

Si nobis licet per analogiam statuere, aequalem esse formationem in hominibus, atque in animalibus, sententia nostra etiam magis demonstratur; — nam in animalium utero inter membranam mucosam et peritoneum magnum fibrarum muscularium stratum reperitur, praecipue longitudinalium, quae a tubis Fallopiianis incipientes per eum propagantur et radiorum instar per ejus cornua se extendunt, dum fibrae transversales imprimis ad collum tantummodo inveniuntur 24). Perspicue moventur partim sua sponte, partim irritatione mechanica 25); galvanismus quoque motum earum efficit, tarde quidem incipientem, sed diu perdurantem 26).

Haec mihi dicenda erant, ut, fibras musculares adesse in utero gravido, demonstrarem.

- 
- 23) Vorlesungen über vergleichende Anatomie v. G. Cuvier, Uebersetzt und mit Anm. v. J. F. Meckel. Leipz. 1809. Vol. IV. p. 537.
- 24) Die Physiologie als Erfahrungswissenschaft von Burdach. Vol II.
- 25) Elem. Physiologiae auct. Alberto ab Haller, VII. p. 59.
- 26) Guil. Wagner commentatio de feminarum in graviditate mutationibus, nec non de causis, quibus fiat, ut integra earum valetudo cum hisce mutationibus consistat. Brunsvigae. 1816. p. 179.

## De rheumatismo uteri.

Quum cognitum habeamus, rheumatismum morbum esse in membranis tum fibrosis tum serosis, atque in musculis insidentem; uterum pro indole modo descripta, et inter graviditatem, postremis quidem mensibus, quum fere excultae florent fibrae musculares, et inter pariendum et puerperium ab illo infestari posse liquet. Num alio tempore affici queat uterus rheumatismo, experientia comprobatum nondum est. Rheumatismo uteri graviditatem turbante, aegrotae, vel abdomine vel toto corpore aëri frigido expositis, dolores leviores mox capiunt, huc illuc trahentes, quasi partum praesagentes, tum in utero ipso, tum in regione sacrali, inguinali, lumbari cet. Qui quidem dolores, quovis corporis motu adaucti, sub noctem exacerbantur, statum, teste Caro 27), provocantes febrilem; mane sudore universali, nec raro urina sub pressu dolorifico reddita,

---

27) Carus Lehrbuch der Gynäkologie. Leipz. 1818. Tom. II. p. 232.

parca, rubicunda, sedimentosa, tolluntur. Feminae plane acquiescentes dolores sentiunt continuos sed obtusos; acutos quidem, utero vel extrinsecus vel intus attacto, ita ut in altiore morbi gradu vix atrectari patiatur portio vaginalis. Quam uteri sensibilitatem signum certissimum ac pathognomonicum esse affirmat Wigand 28), per aliquot dies vel hebdomades ante parturendum a gravidis ipsis eo quidem perceptum, quod vestes abdomen prementes tolerare, noctuque lecto stratae situm aptum commodioremque invenire vix possint. Morbus, nisi cura apta cito removetur, eo nocet graviditati; quod fibrarum muscularium vi aperitur orificium, nec raro foetus praematurus doloribus expellitur acerbissimis. Quem statum ab ineunte partu nonnunquam vix discernes, quum dolores hi simillimi appareant partum efficientibus, simulque dehiscat orificium. Wigand 29) igitur ait: „Mit diesen Schmerzen geht es „oft so weit, daß sie die erfahrensten „Schwängern und Geburtshelfer täuschen, „und eine innere Untersuchung zu einer „Zeit veranlassen, wo man vielleicht noch

---

28) J. H. Wigand, die Geburt des Menschen cet. Berl. 1820. Tom. I. p. 111.

29) J. H. Wigand von den Ursachen und der Behandlung der Nachgeburtsszögerungen. Hamb. 1803. p. 29.

„mehrere Wochen von dem eigentlichen  
 „Zeitpunkte der Geburt entfernt ist. Mir  
 „wenigstens ist es wirklich zweimal so er-  
 „gangen. Beide Male kamen die Schwan-  
 „gern erst nach vier Wochen nieder, und  
 „beide Male fand ich den Muttermund so  
 „weit geöffnet, (es waren überdies Frauen,  
 „die schon mehrmals geboren hatten), daß  
 „ich ganz bequem, ohne viel Mühe meine  
 „ganze Hand hätte hineinbringen, und das  
 „Kind herausnehmen können.“

Remoto statu hoc morboſo orificium  
 rursus clauditur, non raro autem usque ad  
 partum patulum etiam remanet, ita ut par-  
 tes foetus obviae detegi possint. Joerg 30)  
 contractionibus uteri rheumaticis incipienti-  
 bus, orificioque uteri sese aperiente, cervi-  
 cem culeum formasse conicum, basi matri-  
 ciali conversa, ubique se observasse con-  
 tendit, quod quidem symptoma alii non  
 retulerunt observatores. Alvi excretio ple-  
 rumque retardatur, sed interdum in trac-  
 tum intestinorum transit affectio morboſa  
 et diarrhoeam colicamque provocat, cibo-  
 rum appetentia est modica, pulsus magis  
 minusve acceleratus, prout adest febris aut  
 deest.

Quamvis rheumatismum inter parien-

---

30) Joerg Handbuch der Krankheiten des Weibes.  
 Leipz. 1821. p. 574.

dum occurrentem semper fere febris stipa-  
 tum esse crediderim, quum totus organi-  
 smus hanc functionem summo nixu adjuvet;  
 a Wigandio 31) tamen, rheumatismum uteri,  
 graviditatis periodo occurrentem, mor-  
 bum mere topicum esse opinante dissentio.  
 Feminam gravidam perfrictione graviore  
 rheumatismum sibi contrahere posse febrilem,  
 cur in dubium vocetur, nescio, et  
 affectio localis triplici quidem modo ad  
 febrem referri potest:

- 1) Rheumatismus uteri primarius exortus  
 est, ita vehemens, ut ad febrem pro-  
 vocandam maxime conferret.
- 2) Toto corpore frigus excipiebatur, ita  
 ut febris rheumatica primaria vehe-  
 mentior excoleretur, et affectionem  
 uteri topicam sequelam adduceret.
- 3) Uno eodemque tempore rheumatismus  
 uteri atque febris exoriri possunt.

Ad molestias modo relatas si accedunt  
 dolores trahentes in dorso, cervice, hume-  
 ris cet., diagnosis morbi eo facilius est.  
 Casum ejusmodi maxime conspicuum Sie-  
 bold refert, dignum qui tradatur. Femina  
 gravida, quum quatuor ante pariendum  
 hebdomadibus refrixisset, dolores trahentes  
 pungentesque in utero, febris stipatos, per-

---

31) Wigand, die Geburt des Menschen. Berl. 1820.  
 Tom. 1, p. 112.

cipiebat, qui quidem regimine diaphoretico leniti, extremitates jam superiores jam inferiores adibant. Partu ineunte dolores acerbissimi, ita ut prima jam periodo maximis aegrotā tolleret clamores, instabant, nil quidem ad orificium aperiendum conferentes, abdomine ipso extrinsecus attacto, maxime dolente, donec venaesectione instituta modica, fomentationibus specierum emollientium impositis, dolores ad partum veri provocabantur. Rheumatismus, quum in puerperio ipso rursus affecisset uterum, unde sale ammoniaco praebito, venaesectione facta, et sequente Calomelanos usu pellebatur, antibrachia adibat, qua re femina, quominus mammis admooveret infantem, impediabatur. Dolores subito cedentes genu laevum intrabant, unde summo in gradu diu morati, cura apta removebantur.

Rheumatismo uteri justo pariendi tempore apparente, contractiones uteri dolores justo majores, mox praetereuntes, intervallis interjectis longioribus ciere solent; genitalia eodem modo, quo infans descendit, lentius relaxantur, turgoris tum gradu solito, tum mora justa desideratis; unde portio vaginalis mollior, facilior dilatatu reperitur. Simul de calore nimio ac siti conqueruntur feminae impatientes; facies conspicitur rubicunda, cutis sicca, pulsus, prout febris aut adest, aut deest, magis minusve frequens et durus. Capite infantili in pelvis cavitatem recepto, uteri

sensibilitas ita augetur, ut ne levissime quidem attingi patiatur, atque uteri contractiones, partu procedente normali, fortiores et validiores evadentes, quod attinet ad frequentiam, vehementiam et vim, nunc magis magisque remittunt, donec omnino cessant, nec prius reverti solent, quam parturientes duas horas et ultra somnum ceperunt, ex quo expergefiunt sudore copiosiore obtectae. Omnino pariendi labor diutius solito protrahitur.

Rheumatismus, etsi partu inito uterus eo minus ad eum sit propensus, quo magis contrahitur atque vi vitali exiitur; tamen infante forcipis ope aliove modo ex utero sublato, manere ac secundinas retardare potest, cum uterus ita, ut removeantur secundinae, contrahi nequeat: — immo rheumatismus, uti jam supra dictum est, interdum partu edito, licet rarius gignitur, quia fructu emissio uterus parum irritabilis a fibris muscularibus magis magisque denuatur, ita ut frigoris injuriis alia potius rheumatismo afficiantur organa, vel provocetur metritis. Quae si nihilominus in puerperio locum habuerint, febris rheumatica et doloribus post partum vehementioribus eum cognoscemus (32).

---

32) Conf. Carus diss. de uteri rheumatismo. Lips. 1811. §. 19.

Quum uterus rheumatismo affectus laborem suum re vera subeat, licet lentius ac tardius, causa haec functionis uterinae perturbatae dynamica saepius fortasse non agnita est, ita ut partum vel ex parte foetali permagna perperamve posita, vel ex prava pelvis constructione, vel ex genitalibus strictioribus minimeque remittentibus, aliisque ex rebus prolatatum esse opinarentur.

In veris, normalibus uteri contractionibus, fibrae longitudinales praevalent, ex orificio ad fundum se contrahentes, in abnormibus vero contractionibus, interdum fortasse in rheumatismo obvenientibus, fibrae vel obliquae vel transversales agunt, quae quidem, quo minus infans edatur, magis impediunt, quam partum adjuvant.

Ut igitur rheumatismus uteri a doloribus veris distinguatur, frigus in corpus vim habuisse, sensibilitatem totius corporis esse adauctam, dolores intervallis non interpositis persistere, atque adesse febrem, respiciatur, quae quidem symptomaia in doloribus veris omnino desiderantur. — Idem valet de doloribus spasticis, ubi intervallis quidem nonnullam uteri attacki sensibilitatem remanere observamus, spasmus autem in doloribus manifestatur acerbissimis ac potissimum secantibus; orificium uteri, durum, tensus et dolens, haud raro conspicuo contrahitur, vel oblique ducitur. In strictura uteri, doloribus acutioribus nec validis stipata, locus quidam uteri magis

quam caeteri constrictus apparet, utero quasi bipartito, quod exploratione externa plane agnoscitur. In sensibilitate tum corporis totius, tum uteri praevalente, in diathesi hysterica, affectiones uteri spasticae ad rheumatismum accedere possunt, cujus symptomata praepollentia diagnosin stabiliunt.

Rheumatismus pro indole sua ad metritidem proxime accedens, saepius fortasse cum hac confunditur; attamen illa altiore doloris calorisque gradu, tumore, omnibusque praeterea signis, organi interni nobilioris inflammationem notantibus, conspicuo distinguitur.

Rheumatismum uteri in metritidem transire posse, facile est intellectu.

Wigand 33) rheumatismum cum placentae coalitu partiali confundi etiam posse contendit, et haec discrimina refert:

- 1) In partiali placentae coalitu cum pariete uterino omnes desunt prodromi et rheumatismi signa conspicua.
- 2) Dolor hic locum unum, certum, parvum plerumque, satis accurate determinatum, ac sub tactu dolentem, in uteri parte superiore obtinet, et si contrahitur uterus, magis est secans, vel divellens et acutus, in rheumatismo

---

33) Wigand Geburt des Mensch. p. 75. — Von den Ursachen und der Behandlung der Nachgeburtzögerungen. p. 111.

autem obtusus, sensibilitate totum per uterum excurrente.

- 3) Dolores sentiuntur eo leniores, quo magis puerpera ei lateri, cui placenta adhaeret, incubat.
- 4) Sanguinis profluvium citius apparere solet.

**Aetiologia.** Quod attinet ad causam proximam, eadem hic, quae de rheumatismo in genere valent. Recentiores rheumatismum esse irritationem, ad inflammationem prope accedentem, a qua magis gradu quam indole differat, consentiunt. Quae opinio etiam eo affirmatur, quod in rheumatismis vehementissimis, simulatque apparuerunt, omnia verae inflammationis symptomata insunt, quod in his casibus eadem fere ratione, qua inflammatio curantur, quod rheumatismum et inflammationem iisdem in partibus alterum in alterum transire, et quod in partibus diu rheumatismo affectis eadem fere, quas in inflammatione, exoriri degenerationes, v. c. indurationes, coalitus membranarum et intumescencias, observamus. Systema etiam capillare affici videtur, sed qua ratione, cognitum non habemus, ita fortasse, ut partis affectae vasa capillaria turgeant, fluido seroso nimis repleta, vel in statu versentur irritato, quo humorum circulatio perturbatur. Ad morbum localem provocandum cutis functio perturbata quam maxime confert, unde rheumatismum sudoribus potissimum vi quadam naturae salutari resolvi

patet. Quod non quivis sudor, licet profusus ac universalis, valetudinem restituit, ex virtutibus sudoris critici, forte nondum perspectis, quo peculiaries quaedam substantiae evacuentur, explicare non dubitem. Quae quidem rheumatismi indoles, ab inflammatione minime aliena, quo minus debilitatem subesse putemus, impedit, et quamvis symptomata v. c. dolores invalidi ab illa videantur esse repetenda, debilitatem tantum spuriam, vim naturae restrictam vel suppressam offendimus.

Praedispositionem quod refert, uterum graviditate maxime mutari scimus. Uterus nunc magis pertinet ad organa irritabilia, ut antea ad reproductiva; vasa atque fibrae musculares frequenter occurrunt, in virgine omnino desiderata, atque quo magis singulis graviditatis mensibus irritabilitas augetur, eo magis uterus rheumatismo obnoxius fiat necesse est; unde sequitur rheumatismum ultimis graviditatis mensibus, ubi fibrae musculares excultae jam prodeant, praesertim occurrere. Integumenta abdominalia esse tenuiora, atque uterum quam maxime amplificatum extra pelvim esse situm, addendum est, quae quidem eo facilius morbo nascenti ansam praebebunt, quo sensibilibior ex dispositione vel congenita, vel regimine nimis diaphoretico relaxante acquisita, gravidarum cutis, atque ad sudorem emittendum erit propensior.

Causa occasionalis est functio cutanea, frigoris vi suppressa, et quidem potissimum

pedum, femorum, genitalium ipsorum, abdominis, dorsi, quod facillime fieri potest, cum abdomine accrescente magis distent vestimenta solita; cum feminae induant stolas breves, et omnino vestes tenuiores, cum in latrinis saepius insideant vento frigido expositis, praecipue cum lotii reddendi causa noctu lecto saepius excedant, immo adeant loca modo dicta. Si reputamus etiam feminarum vestimentum omnino parum aptum esse ad tempestatis frigidae et humidae vim avertendam, ac tegumentum quotidianum, graviditatis periodo, quamvis conditio poscat, haud raro minime permutari, mirandum sane est, illum morbum non saepius occurrere. Inter partum etiam femina rheumatismo affici potest, si liquore amnii maturius defluente vestimenta madescunt, ac si gravida a domicilio remota, tempestatis injuriis fortasse exposita est.

Cognitum habemus, in veris auctumnique tempestate humida, frigida et varia, omnino in subita caloris frigorisque vicissitudine, morbos rheumaticos saepius conflari; quod tempestatis genus in uterum etiam habere vim, Dr. Velten 34) approbavit, qui in constitutione catarrhali-

rheumatica saepissime affectiones uteri rheumaticas observavit. Prioribus graviditatis mensibus morbum ter se observasse dixit, sine febris conspicua, praenuntiatum frequentiore urinae reddendae impulsu; doloribus stipato. Regimen diaphoreticum mox aegrotam sanabat. Similem refert casum, per quinque jam dies neglectum, ubi in femina ex quinto mense primum gravida, cum dolores ad partum jam coepissent, orificio aperto digitus immitti posset, tactuque graves sentirentur dolores, remediis diaphoreticis adhibitis, parvaque opii dosi addita, desinebant contractiones sudore largiore excitato. Altero die exploratione instituta orificium clausum ejusque sensibilitatem sublatam esse idem observabat. In tribus etiam partibus, sine normali editis, uterum rheumatismo obnoxium, ejusque sensibilitatem ultima periodo manifeste auctam esse, facile cognosci poterat. Pluribus jam diebus ante partum ejus prodromi apparebant, usque dum orificium penitus apertum erat, cum incredibili quadam uteri sensibilitate conjuncti, quippe qui tum extrinsecus tum intus attactus maxime doleret. Opium in substantia simul cum balneo tepido adhibitum sudorem criticum eliciebat, doloresque tollebat.

Prognosis. Nullum fere in morbo inest periculum, nisi auxilio neglecto partus praematurus superveniat, modo recte morbum agnoscamus et tractemus, ideoque caveamus, ne doloribus partum praenun-

34) Rust Magazin für die gesammte Heilkunde. Berl. 1823. Vol. XIV, fasc. III, p. 537.

tiantibus inducti, eum ipsum acceleremus. Immo si partu praemature adducto metuendum esset, ne puerperium perturbaretur, in rheumatismo uteri propria quaedam insunt, quibus a similibus caeterorum organorum affectibus conspicuo differt, quare semper fere faustam prognosin statuere nobis licet. Ex uteri enim metamorphosi, in parturiendo non interrupta, et ex vi vitali, partu edito necessario imminuta, breve tantum tempus rheumatismum uteri durare, et maximam partem facile sanari posse apparet, quod quidem ex re ipsa sequitur, cum eodem modo quo uterus, omnes etiam ejus morbi necesse sit sensim sensimque decrescant et evanescant. Rheumatismum igitur uteri, quamvis molestissimos gravissimosque commoventem dolores, modo recte tractetur ipso partus momento, ne vestigio quidem ullo relicto tolli, nec puerperium excedere, nec ejus functiones quidem perturbare, observamus. Aliud occurrit ejus proprium, quod omnes puerperarum morbi, quorum uterus particeps est, sudore dijudicari solent. Cum in rheumatismo uteri tollendo sudori tantum salutare eliciendo operam demus, inclinatio ad eum maximi nobis debet esse momenti. Experientia igitur docet, morbum plerumque sudore largiore, ac sedimentis urinae colore lateritio, rosaceo, aurantiaco solvi, et regimine diaetetico juste adhibito, dolores plerumque mox evanescere, febrem penitus desinere, graviditatem ad finem

justum pervenire, aut cum adest, dolores acriores incipere, et partum sine mora ad finem perducere. Maxima autem vis, quam Wigand post partum in stadium secundinarum rheumatismo attribuit, cessat, dummodo sudor universalis appareat, quo puerpera levatam se sentiat. Berends 35) bis observavit rheumatismum uteri miliaribus accedentibus dijudicatum. Quod crisis genus fortasse non tam raro occurreret, cum haec miliaria symptomatica exanthema sint ab humorum in cutem affluxu, regimine nimis diaphoretico profectum, ideoque semper cum sudore copiosiore conjunctum, in puerperarum morbis febrilibus crisis tempore saepissime apparens. Rheumatismus uteri non bene perspectus, neglectus vel non juste tractatus, praecipue in individuis plethoricis, et auxilio vel manuali vel instrumentali crude adhibito in metritidem facile transire, ac tum infantis mortem, abortum, vel placentae utero adhaesiones validas abnormes, et in universum omnes inflammationis exitus efficere potest. Ceteroquin rheumatismus uteri nisi in metritidem transierit, non tam facile quam haec

---

35) Berends Handb. der praktischen Araneiwissenschaft oder speciellen Pathologie und Therapie, bearb. v. Sundelin, Berl. 1829, Vol. VI, P. II, pag. 355.

abortum adducet. In tractum etiam intestinorum, vesicam urinariam peritonaeumque transire, et colicam, diarrhoeam, mictum dolorificum peritonidemque generare valet, unde prognosis valde turbatur. In parturiendo sudore non exorto, aut suppresso, mammae post partum maxima gaudentes vi vitali potissimum afficiuntur, vel alia organa essentialia corripuntur, cum puerperarum sanguis lactis principii magnam continens copiam, ad illud alicubi deponendum valde proclivis, magna quaevis pericula, functiones puerperales perturbantia, conflare soleat. Puerperarum igitur sudor maximi nobis erit momenti, et prognosin semper statuere poterimus eo prosperiorem, quo maturior et copiosior sudor universalis apparuerit.

**Cura.** Curam dividimus in prophylacticam et therapeuticam.

Feminae, quae frigoris injuria facile laeduntur, rheumatismis universe laboraverunt, vel in graviditate aliqua priore rheumatismo uteri affectae sunt, per omnem hanc periodum praecipue pedes, femora et abdomen magis debent obtegere, tibialibus laneis, braccis, vitta abdomen cingente uti, aëri matutino vel vespertino frigido et humido, praesertim corpore calente, non se exponere, ne corpus permadescat cavere, loca quae ventus vehementior permeat fugere, nonnunquam balneo tepido se recreare, corpus panno laneo calefacto, aliisque ejusmodi rebus perfricare,

ad normalem cutis functionem servandam. Tali ratione certissime praecaveri potest, ne rheumatismus uteri excolatur.

Quod attinet ad curam therapeuticam, rheumatismus uteri febrilis et afebrilis distinguendus est.

Siquidem morbus graviditatis periodo apparet, ubi febris destitui solet, potissimum respiciendum est, ne sudor oriens supprimatur, immo adjuvetur. Regimen igitur calidum commendandum est, ita ut aegrotata in lecto debeat cubare, calido theae potu balneoque tepido uti, modo caveamus, ne frigoris vi afficiatur; diaeta sit parca, vestimenta non premant, clysteres calidi aperientes, quam optime derivantes applicentur, regio uterina oleo tepido, unguento neapolitano et linimento volatili perfricetur, ac pannis calefactis pulvillisque herbis refertis obtegatur. Cataplasmata in doloribus vehementioribus quidem utilissima, cum temere adhibita, facile perfrictionem rursus adducere malumque augere possint, laudanda non sunt. Exploratio tum interna, tum externa, quantum fieri potest, evitanda est, ne aegrotata, utero irritabili sese contrahente, doloribus afficiatur. In leviori morbi gradu hac ratione eo quo tendimus pervenimus. Rheumatismi uteri febrilis gradus semper respiciendus, atque cum indoles ejus inflammatoria negari nequeat, eadem ratione, qua febris rheumatica inflammatoria, tractandus est.

Dolores usque ad summum saepe accedentes gradum, non soli sanguinis emittendi indicationem nobis praebent, sed in adhibendo hoc remedio indolis inflammatoriae praevalentis, constitutionis plethoricae, pulsus, respirationis magis minusve restrictae, cutis siccae et calidioris, faciei turgescens et rubicundae cet. ratio habenda est. Quae quidem si adsunt symptomata, venaesectione instituta, dolores symptomaticos remittere, vires suppressas sublevare, cutis secretionem foveri, et justo partus instantis tempore dolores vehementiores apparere observamus \*). — Praeterea in illo febris gradu remedia interna, venaesectionis effectum adjuvantia, adhibenda sunt, ut nitrum in emulsionibus cum refractis Tartari emetici dosibus, Roob Sambuci ad cutis functionem sustentandam, et febris jam imminuta fortasse liquor Mindereri, ac infusus radice Ipecac., sale ammoniaco addito. Usquedum sudor universalis apparuerit, doloresque in abdomine penitus remiserint, illa remedia, regi-

\*) In casu quodam nuperrime hic in nosocomio observato venaesectio faustissimo instituebatur eventu. Femina juvenilis, robusta, paulo ante partum se refrixerat, ex quo rheumatismo uteri perspicue laborabat. Venaesectione facta sudor universalis apparebat, atque sine noxa partus editus est.

mine calido non omisso, continuanda erunt. Remedium specificum in morbo nostro est opium, praecipue in pulveris Doveri forma, a Wigandio aliisque medicis laudatum, cujus vis salutaris celeriter permulcens cutisque secretionem adjuvans, maxime est expetenda, praesertim cum sensibilitas feminis jam sponte propria in hoc morbo saepe augeatur, et id spectandum nobis sit, ut dolores vehementiores leniamus.

Schon nach der 2ten oder 3ten gehörig großen Gabe desselben, (Wigand inquit 36), kehren die Wehen öfter wieder, sind lange nicht mehr so schmerzhaft als vorhin, und verwandeln sich bald in ein stilles Drängen der Kreisenden, in dieses charakteristische Zeichen einer guten wirksamen Wehe, besonders beim Stande des Kopfes in der Mutterscheide. Der Bauch, so wie der Muttermund, lassen nun wieder jede, selbst ziemlich starke Betastung zu. Zu gleicher Zeit verbreitet sich allmählich über den ganzen Körper ein warmer starker Schweiß; die vorhin trockne Mutterscheide wird feuchter, der vorhin kleine und geschwinde Puls wird voller und langsamer, und alles zeugt jetzt von einer gehörigen Erregung des übrigen Kör-

36) Von den Ursachen und der Behandlung der Nachgeburtzögerungen. Hamb. 1803. p. 33.

pers so wie der Geburtstheile. Eben so vorthailhaft wirkt das Mittel auch auf die Herausstofsung der Nachgeburt.“

Attamen in rheumatismo uteri non utique hoc remedium est adhibendum, sed in constitutione plethorica et vasorum actione adaucta, venaesectione praemissa opium praebetur cum mercurio dulci conjunctum, vel nonnullis nitri granis additis.

### Historia morbi.

Catharina Steinberg, ancilla Arensburgensis annos viginti quatuor nata, inupta, constitutione sensibili, habitu macero, anno millesimo octingentesimo tricesimo, sexto mensis Junii die, in domus obstetriciae Dorpatensis aegrotarum ambulantium numerum recepta erat. Quamquam antea semper se bene valuisse affirmabat, tamen re diligentius explorata certior factus sum, plures ante annos rheumatismo chronico eam laborasse, duos per menses in nosocomio nostro curatam et quamvis tum sanatam, tamen non ab omni rheumatismi percipiendi facultate liberatam esse. Annos quindecim nata fluxum menstrua-

primum experta est; catamenia justo ordine quaternis hebdomadibus revertebantur, et quatuor vel septem dies modice fluentia sine molestia perdurabant. Quod ad hanc, primam quidem graviditatem attinet, nihil amplius cognitum habebat, quam mensis Januarii initio fluxum menstrualementem desideratum, et mensis Maji initio primum motum foetalem perceptum esse.

Sexto Junii die exploratione facta haec observata sunt:

In exploratione externa. Pelvis satis apte constructa, ossa ilii paulo humiliora solito, inclinatio paulo major, abdomen palmam supra umbilicum extensum, ceteroquin aequabile et molle.

In exploratione interna. Vagina mollis, portio vaginalis valde ad laevam et posteriorem partem vergens, et tam alta, ut ejus longitudo percipi non posset; nulla pars foetalis obvia reperiebatur.

Media aestate muneris experta, peregrina, nemini Dorpati cognata, a domino priore quodam, misericordia permoto, recipiebatur. Locus vehiculis collocandis tantum, quo cubitum iret, destinari ei poterat, ubi pelle obiecta in vehiculo dormiebat. Noctibus hic peractis nonnullis, dolores capiebat huc illic trahentes, etiam in regione sacrali, quae quidem aegritudo non plane excultam se praebebat. Cum impedirent nonnulla, quominus in nosocomium reciperetur, auxilio medico domi se sublevatum iri fidem accepit.

Die decimo mensis Augusti examine instituto exploratio obstetricia facta est. Abdomine modice extenso, scrobiculo cordis satis repleto, umbilicum deorsum offendimus prominentem, et ad dextram, in uteri fundo, locum quendam durum. Vaginam vix dilatata, deorsum paulo depressam reperimus; portionem vaginalem magis ad partem laevam et alte positam; cervicem uteri usque ad lineas nonnullas deminutam; orificium paulo patens, fovea parva formata. Dolores partum praesagentes, nonnunquam perceptos, quum fere negligeret mulier ista; sibi providere iussa est, partuque instante conducere cubiculum, cum in nosocomeum recipi non posset.

Die septimo decimo mensis Augusti dolores jam acutiores quinque minutorum intervallo et ultra interjecto, in regione potissimum sacrali sentiebantur, usque ad regionem inguinalem se protrahentes. Abdomen fere nondum descendebat; vagina turgida, mollis, deorsum depressa, multis instructa plicis, parum exercebat mucis, portio vaginalis ad laevam partem uteri, promontorium versus alte erat suspensa, orificio paulum aperto; nihil aliud distingui poterat. — Vesperi partus jam progredi videbatur; cervix uteri sub tactu dolens descendebat; labiis paulo brevioribus, orificium digito immisso dilatari poterat. Noctem egit inquietam, doloribus cruciata frequentioribus et fortioribus; post horam auditam primam tan-

dem somno strata usque ad tempus matutinum quievit.

Die duodevicesimo mensis Augusti. Mane hora quinta dolores rursus aderant; genitalia nunc ad partum magis praeparata mucum spissiore exercebant; orificium erat apertum, ita ut digitus intus circumduceretur; labia permollia dilatari poterant; vesica liquore amnii repleta, paulum tensa, rotundata prominebat; caput per laquear vaginae offendebar. Ante meridiem status idem permanebat, doloribus in regione sacrali sese augmentibus ac remittentibus, nec unquam fere, uti convenisset, intermittentibus. — Post meridiem exploratione facta detegebantur haec: cervix uteri demissior, orificium ad pollicem dimidium patulum, labia admodum mollia, sub tactu dolentia, facili negotio dilatabantur; vesica conspicuo praevia, cum aderant dolores, tensa, cum cessabant, laxa; caput per velamenta agnosci poterat. Usque ad vesperam dolores ternis fere minutis acuebantur, intervallis vix distinctis. Cutis frigida, sicca; caput calidum; frons sudore obtecta; pulsus parvus, duriusculus, octoginta fere ictus singulis minutis faciens; sitis nonnulla; lotium sub pressu dolorifico redditum; inquietudo adaucta. Cum ex die tertio alvus non esset soluta, clyster applicabatur sine ullo effectu.

Exploratio serius vesperi instituta progressum ostendit partum. Caput magis descendebat; vesica strictius tensa; orificium

ad pollicem et supra apertum; labia usque ad marginem tumidum contracta, eandem quam antea ostendebant molliem, quin etiam in doloribus. Vagina mollis parcum excernens mucum, ex laqueari depresso angustior. Abdomen in latitudinem extensum mirati sumus, nec non bipartitum per sulcum longitudinalem intermedium, quae quidem mox evanuerunt. — Noctem egit parturiens inquietam, doloribus cruciata fere persistentibus, intervallis etiam dolorificis, ita ut explorationem aegre ferret. Bis dormivit ad horam dimidiam.

Die undevicesimo mensis Augusti. Mane exploratio parturiendi laborem longe proevectum docuit; vaginam satis praeparatam; portionem vaginalem in pelvim minorem alte demissam usque ad duos pollices patentem; marginem fere nullum; vesicam valde prominentem, rotundam, attamen intervallis laxam; caput praevium paene immobile; et abdomen valde demissum. Dolores cito revertebantur acerbissimi, neque tamen satis validi. Cum in eo fere esset, ut rumperentur velamenta, dolores corporis nixu adjuvare vetabatur femina. Si paulo vehementiores nonnulli secuti essent dolores, rupta sane essent velamenta; sed sensim sensimque cessabant et imminuebantur. Duas post horas alterum applicavimus clysterem antispasmodicum, quo mox bis largiter solvebatur alvus. Tum, postquam horas nonnullas quiete dormivit, cutis antea frigida

et sicca, humidam et calidam se praebebat, et aegrotata ab inquietudine illa liberabatur. Circiter meridiem exploratione facta reperimus statum longe immutatum: caput nunc altius positum; orificium minus patulum, sed labia quamquam paulo longiora, dilatari adhuc poterant. Examine nunc repetito et omnibus singulisque inter se collatis, partum esse praematurum judicabamus. Post meridiem nonnunquam dolores observabantur. Hora septima vesperti laquear vaginae inane; caput omnino retrogressum vix percipi poterat per velamenta in introitu pelvis majoris; vesica erat laxa, collapsa; orificium usque ad pollicem contractum; labia nonnullas lineas oblongata, attamen mollia, dilatari adhuc poterant.

Die vicesimo mensis Augusti. — Noctu nonnunquam dolores observabantur; genitalia autem ad statum pristinum magis rediisse docebat exploratio. Orificium clausum, in foveam subrotundam, in quam digitus immitti non posset, abiens atque tam alte positum apprehendimus, ut caput non offenderetur. Die quiete peracto, in exploratione circa vesperam instituta nihil esse mutatum experti sumus.

Die vicesimo primo mensis Augusti. — Noctu dolores acerbissimi perstiterant, somnum omnino prohibentes. Propinavimus Tinct. Valer. 3j in Decoct. rad. Alth.

5vj.

— Die vicesimo secundo mens. Aug.

— Noctu quidem aderant dolores leviores, sed interdiu cessabant, ita ut nox sequens iis vacaret. Postridie cum rursus refrixisset aegrotata, morbus revertebatur; dolores potissimum noctu percipiebantur, in partum edendum nullam habentes vim. Cutis frigida et sicca; frons gelido nonnunquam obtecta sudore. Nullus ex continuata Valeriana usus. Ita in dies aliquot status protrahebatur idem; nonnunquam sentiebantur dolores quasi ad partum, nocte exaucti, nulla vero, cum exploratio facta esset, re mutata.

Die vicesimo sexto mens. Aug. — Tandem iis, quae hucusque obstiterant, remotis, in nosocomium recepta, extemplo balneum adire hora diei prima, sumtoque infuso Chamomillae calido, in lecto lodice obtegi iussa. Balneo relicto somnum capiebat, ex quo, sudore copioso universali obtecta excutiebat. Paulo post doloribus gaudebat normalibus, sensim sensimque crescentibus, ita ut partum mox finitum iri sperare liceret. — Exploratio hora octava vesperi instituta haec praebuit: matrix descenderat, fundo ad laevam vergente; umbilicus vesicam formans prominebat; vagina mollis, tumida, multum exercebat mucum; portio vaginalis in media fere pelvis apertura offendebatur, ad pollicem dilatata, sensibilitatis prioris omnino experta; labia usque ad lineas duas extenuata, satis mollia; dum instabant dolores, vesica haud multo

referta liquore amnii, dum cessabant, caput strictius cingens, quod quidem, quamvis alte descendisset, moveri patiebatur. Dolores frequentiores et acerbiores reperiebantur. In altera exploratione caput demissius, fere infra mediam pelvis aperturam deteximus; vias genitales magis etiam instructas, et vesicam non admodum tensam. Hora octava et dimidia, doloribus nonnullis fortioribus secutis, rumpebantur velamenta. Femina in lecto parturientium caute apponebatur, lodice obtecta, ne turbaretur transspiratio, quo facto caput pelvis exitum intrabat et mox omnino protrudebatur, toto corpore infantili extemplo sequente. Puella erat sana. Abdomine leniter fricato, paulo post dolores revertiebantur secundinas edentes. Lactis secretio altero die incipiebat; sudores puerperales rite exercebantur; lochiorum fluxus justum aderat tempus, ita ut omnibus vacaret puerperium perturbationibus.

### Ep ic r i s i s .

Aegrotata jam pridem, ut ex historia morbi elucet, rheumatismo affecta, per magna ejus opportunitate abhinc laborabat, facillime perfrigescentis. Adversae, quibus implicita erat, res si adduntur, fie-

ri non potuit, quin praedispositione exculta et subita caloris frigorisque vicissitudine, quum dies aestivos calidissimos noctes exciperent humidae frigidaeque, denuo corripere morbo pristino. Itaque, postquam loco illo alienissimo cubitum iverat, dolores mox percipiebantur trahentes, quasi partum praesagientes, deinde in dies sese augentes, quum nec agnosceretur morbi indoles, nec subveniretur ejus necessitati. Exinde partus imminenti signa superveniebant; orificium uteri quamquam lente aperiebatur; sensim sensimque crescebant dolores, vesica liquore annii repleta in os uteri protrudebatur et sic porro. Mulierem prima vice gravidam parum constantia de se retulisse addendum est, quippe quae nec quando concepisset, nec quando postremo gavisae esset fluxu menstruali, certo sciret, tantum quinque ab hinc fere menses primos se sensisse motus foetales commemorans, a quo exploratio nec externa nec interna dissentire videbatur, abdomine aequae ac sub graviditatis finem extenso et portione uteri vaginali vixdum cognoscenda. Quae quidem omnia, graviditatem finitam esse partumque instare, opinionem inducere potuerunt. Partus quum extra spem moraretur, statum arguimus spasmodicum (qui quidem in constitutione hac sensibiliore re vera concomitabatur rheumatismum, ita ut matrix probabiliter ex strictura aliquamdiu quasi bipartita esse videretur per sulcum longi-

tudinalem), et propinavimus infusum rad. Valer., quamvis regiminis calidi ope praebitoque potu calido morbus forte sanatus esset. Opusculi mei initio clarissimi Wiggandii propria retuli verba testantis, dolores interdum ad eum accedere gradum, ut peritissimi fallerentur partus adjutores; — sit igitur venia tironi, verum morbi fontem non respicienti! Omnia quum melius perpenderentur, facillime a frigoris injuria laedi mulierem, causa occasionalis, dolores trahentes in regione sacrali, quasi morbi prodromi, tum uteri attacti sensibilitas, dolores justo majores neque intermittentes, labia orificii mollia faciliaque dilatata, exacerbationes nocturnae; deinde examine accuratius repetito, quum graviditatis finem nondum adesse appareret: — morbum esse Rheumatismum uteri persuasum nobis erat. Sudore emisso levioere status aegrotae omnino immutabatur; partus jam provector gradum retulit, orificio plane clauso, doloribus paene remittentibus. Sed cum crisis haec per sudorem parcum non sufficeret, non omnino sanatus, tantum lenitus apparebat morbus; quem quidem evanuisse crediderim, quum noctu ex die vicesimo secundo ad diem sequentem mensis Augusti doloribus vacaret aegrotata, nisi rursus refrixisset. Qui morbus recens conflatus sane infestasset partum justo nunc tempore incipientem, nisi faustissima rerum vice, in nosocomeum recepta, ab omnibus morbi injuriis defensa

esset. — Regimine calido ei potissimum commendato, balneo tepido instituto, infuso praebito diaphoretico cutis functio restituebatur; sudore excitato copioso, morbi semina plane amovebantur. Ideoque nec partu nec puerperio turbatis prospera omnia succedebant.

## T h e s e s.

- 1) Febris intermittens est morbus nervorum.
- 2) Simplicium medicamentorum usus certior, quam compositorum.
- 3) Non exstat stadium fastigii in morbis.
- 4) Quaevis febris exoritur per irritationem.
- 5) Icteri causa minus posita est in suppressa secretionem, quam excretionem bilis.
- 6) Non exstant morbi mere dynamici.
- 7) Hydrops non semper est morbus asthenicus.